

Qk. 531, 24

B. m. II

HC  
114

RECTOR  
ACADEMIAE WITTEBERGENSIS  
IOANNES DANIEL  
TITIVS

PHYS. PROF. PVBL. ORDINARIVS  
ORATIONEM  
IOANNIS AVGVSTI SAMVELIS BEVTNERI

ROTTA SAXONIS

THEOL. CVLT.

WOLFRAMSDORFI LIBERALITATEM

CELEBRATVRAM

CRASTINO H. L. Q. C

C I V I B V S

APPROBAT



VIA COMPENDIARIA  
DISCENDAE LINGVAE LATINAE

**I**n schedis Lipsiensibus, ad notitiam rei praecipue familiaris accommodatis, parte quinquagesima quarta, superioris anni, fuit quaestio posita, quae tandem fit optima ratio expeditissimaque docendae ac discendae linguae Latinae, ad usum cursus studiorum futuri, in scholis tam publicis, quam priuatis. Digna profecto res, de qua memoria nostra diligentius anquiratur. Nam complures ad nos aduolant prius, quam tantum facultatis Latini sermonis, quantum ad audiendos doctores, ad libros legendos, ad sententiam perspicue dicendam, opus est, sibi compararunt. Cuius adeo turpis negligentiae pellendae consilia non desideramus, ab hominibus doctissimis collata, atque a Morhofio in polyhistore enumerata copiose. Sed in alterutram peccatur partem, ut aut iter nimis longum, aut uia iusto breuior, monstretur. Habet tamen Antonii Schori libellus, de ratione discendae docendaeque linguae Latinae, multum bonae frugis, quamuis, Ciceronis imitationi minus addictus, maiores potuisset utilitates praebere. Nos quidem, quem modum caeteris antefendum putemus, perstringemus propter huius angustias instituti breuiter, non spe commodi cuiusdam commoti, sed sola cupiditate, aliquid ad-  
iumen-

iuuenti hominibus afferendi nostris, et ad Latine  
intelligendum, et dicendum. Nec vero discipli-  
nam formamus indolis excitatae, quae eminere  
studet altius, praestantissimosque Latii scripto-  
res uersat, ut rem Quiritium cognoscat exqui-  
sitius, ex eorumque consuetudine sensum pulchri-  
tudinis percipiens, similia, quae ferant aetatem,  
scribat. Hi sunt aliter ducendi, etsi plus eorum  
praestans natura eximiaque ualebit, quam ratio  
conformatioque doctrinae. Quaestionis auctori  
potius morem gerimus, et mediocribus uolumus  
ingeniis consultum. Quae cum tantum Latinae  
tribuant orationi, quantum sanctiori scientiae,  
iurisprudentiae, arti salutari, philosophiae, per-  
spiciendae seruit, ut scholas cum fructu frequen-  
tent, scripta intelligant necessaria, ac sine repul-  
sae ignominia munus publicum capessant, uia  
magis compendiaria possunt, quo tendunt, per-  
uenire

Quoniam redit omnis institutio ad intelli-  
gentiam, studiumque de rebus intellectis differen-  
di, fundamenta iaciat Grammatica. Hic super-  
uacaneum foret, morem, quo nihil insulsius, re-  
prehendere, Grammatice Latina disciplinam pri-  
mam conformandi. Nam quis sanus in tenebris  
lucem quaerit, nec reperitur quisquam huic de-  
ditus consuetudini, nisi, qui cum maioribus errare  
mauult, quam cum aequalibus recte sentire.  
Istud doleo, quod anni, nullo redimendi pretio,  
cib 2 memo-

memoriae mandandis dictionibus, praescriptio-  
nibus, exceptionibus, consumuntur, cum fasti-  
dio iuuentutis incredibili, atque in obliuionem  
breui futuram. Rectius profectibus ingeniorum  
prospexit Gesnerus, de scholis immortaliter pro-  
meritus, emendando Cellarii libello, iisque, quae  
defuerant, explendis. Idem, praefatus opellae,  
quo modo sit literatura ad captum puerilem re-  
ferenda, tam praeclare docet, ut, quoties haec  
uiri consilia mecum reputo, toties ei terram le-  
uem comprecser, cuius diligentia factum est, ut  
aetas prima rursus non sine uoluptate suscipiat  
rationem horum studiorum atque ingrediatur.  
Hinc igitur assuefaciendi pueri sunt formis de-  
scriptis, quibus uoces ac uerba recte prompteque  
inclinant, ac de partibus orationis erudiendi  
summatim, exceptiunculis omnibus exercitationi  
in posterum reseruatis. Sic, ut hoc unum mo-  
neam, quid tandem prodest, memoriam tot ex-  
emplis, quae solent in generibus excipi, fatigare.  
Nonne praestat in ipsa lectione discipulos com-  
monefacere, ut, si quod nomen ab regula disce-  
dit, appositum quoddam notent, quod per phan-  
tasiae legem genus in mentem reuocet, ut panis  
quotidianus. Quo facto, ad compositionem uo-  
cum coniunctionemque progrediendum, cuius  
generales modo praeceptiones ac primariae sunt  
in succum sanguinemque uertendae, pluribus ex-  
emplis elaborandis. Sed eo magis breuitati stu-  
dere

dere licet, quod secundum Quintilianum, institutionum oratoriarum libri primi capite sexto, non inuenuste dicitur, aliud esse Latine, aliud grammaticae, loqui. Neque enim semper scriptorum sequitur elegantium consuetudo artis analogiam, sed usum linguae praefert, uarietate recreat, uocalitate seu euphonia aures implet. Itaque lectio, cognitionis parens, quam primum suscipienda uidetur, et uarii generis commentationibus firmanda. Nec uero colloquiorum libellis, aut aliis generis eiusdem, orbem artium scientiarumque pingentibus, inhaerendum. Abundant enim uitii sermonis, nec tam de rebus, quam uerbis, hoc in campo laboramus. Phaedrum potius lectionis ducem sumerem, caussis non leuibus ductus. Illud Horatii sane, ut os pueri tenerum ac balbum figuret poeta, nemo spernet, qui Strebacum, de uerborum electione et collocatione oratoria, egregia dantem praecepta, audierit, ubi, opera data, utri priores legendi, poetae an oratores, quaerit. Vates merito suo praeponit, propter artificium uocum construendarum uelocius addiscendum, propter discrimen orationis solutae ac numeris astrictae manifestius, propter rerum praestantiam ac uoluptatem, lumine uerborum auctam, ut non possit immortale illud et coeleste, quod spirant illi, non placere. Phaedrus sigillatim materiam poliuuit, ab ingenio puerili non alienam dulcemque, et natiuae Latinitatis lu-

culentum praebet exemplum. Dices forsan, fabulas hasce difficiliorese, quam ut eas aetas tenera capiat. Sed huic plerique nimis diffidunt, nosque ipsi cognouimus experiundo, annos nouem natos illas in Germanicum prompte transtulisse, et gratiam ueneremque percepisse monstratam. Aliquo temporis interuallo interiecto, Phaedro iungerem Ciceronis officia, eo scripta consilio, ut oratio Latina legendis iis plenior efficiatur. Adde communis argumenti praestantiam, rerum ipsiusque styli uicissitudinem, dicendi concinnitatem. Quinam sint scriptores conterendi legendo primi, constat. Sed inuestigatio difficilior est, qua uia percenseri debeant. Haec iniri duplex potest, auctore eodem Gesnero, in praefatione Liuii, ab se editi. Altera breuior lectio uocatur cursoria, longior altera, cui statariae nomen imponitur. Illa continenter progressa, de Latino conuertit in Germanicum, haec in singulis, memoria dignis, moratur. Prior copiae uocabulorum seruit, quam simul mirifice iuuat Cellarianus Latinitatis liber memorialis, si pagina quotidie ediscatur, illis modo uocibus memoriae traditis, quae maioribus literis distinguuntur. Nam caeterae ex ipsa origine sua facile coniiciuntur. In posteriore legendi modo animus ad tria aduertatur. Primo quidem, quid proprie dictum, quid translate, dispungatur. Est enim magni ad perspicuitatem momenti proprietates, paucis nota, temporibus maxime

me nostris, quibus intemperantia troporum naturalem orationis pulchritudinem corrumpit. Cuius diligentiae petamus exemplum ab Ioannis Frederici Gronouii notis in Terentium, obseruatione significationis, usu loquendi receptae, commendatissimis. Deinde singulari cura notentur, quae a uernaculae linguae consuetudine abhorrent, quo Germanismi crebri fugiantur. In uerborum denique structura nerui atque artus orationis, quos particulas dicunt, spectentur, et, quo loco, quo ordine ponantur, indicetur perinde, atque ab ordinaria componendi uoces lege quid recedat, in quo praecipua dos Latinitatis sita est, et, qua prudentia genus dicendi fufum atque ambitu uinctum soleat temperari, auctore de periodis Sturmio, declaretur. Nunc usu lectissimorum librorum praeparatis atque imbutis licebit per caeteros uagari, diuitiasque Latini sermonis augere. Per gradus tamen ire, quam temere currere praestat. Caesaris commentarii ac Nepos genus dicendi tenue summissumque limabunt. Mediocris styli ac temperati gustum quendam discipuli iam ex officiis Tullii habent, eiusdem nonnullis orationibus, ut pro lege Manilia, pro Marcello, atque ubertate lactea Liuii, acendum. Ad sublimitatem Cicero pro Rabirio, atque per Philippicas quasdam, et Plinii Panegyricus euehet. Quicquid deerit opibus Latinae linguae atque ornamentis, euolutio poetarum perita

QX  
Tc  
114

rita cumulate compensabit, in quibus uel solus Virgilius omnes dicendi formas coloratas roborabit, subtilem eclogis, temperatam Georgicis, amplitudinem summam Aeneide. At enim sola lectio quam studiosissima minus ualebit, ad eam nisi strenua accesserit exercitatio, cuius de modis commodissimis altera diatribes huius pars aget.

Quibus adiumentis est ad Latine dicendum feliciter usus IOANNES AVGVSTVS SAMVEL BEVTNER, *Rotta Saxo, sanctioris disciplinae*. Specimen edet oris disertis sane quam luculentum, laudaturus Hermannum Wolframsdorfium, purpuratum quondam aulae Saxonicae, maximis ornamentis insignem. Is, praeter caeteras uirtutes immortales, etiam nunc liberalitate nitet, qua conuiuio iuuenum spectatae diligentiae prospexit, et patriae charitatem, optimi cuiusque iudicio maximam, posteritatis memoriae commendauit. Nihil igitur Beutnerus noster assentationi dabit, si gloriam fuerit nominis eius iusta persecutus oratione, hoc splendidiorem, quo rariora nunc consimilis benignitatis exempla cernuntur. Vos, *Ciues*, fauete commilitonis Vestri proposito, quem nos singulariter diligimus, decoribus, quibus adolescentia magnopere commendatur, compluribus aliis antecellentem. P. P. Id. Mai. CXCICCLXVIII

VITEBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS


ULB Halle  
001 568 671

3



211





B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

B. m. II



LECTOR  
AE WITTEBERGENSIS  
ES DANIEL  
TIVS

F. PVBL. ORDINARIVS  
RATIONEM  
VSTI SAMVELIS BEVTNERI  
ROTTA SAXONIS  
THEOL. CVLT.

DORFI LIBERALITATEM  
LEBRATVRAM  
STINO H. L. Q. C

V I B V S

APPROBAT

